



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Vita Martini Papae III. Vulgo V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

666 MARTINI PAPÆ III. VVLGO V.

set, eaque firma fide teneri ac doceri præcepisset, omnibus & singulis ibidem existentibus suffragio totius Concilii abeundi licentiam concessit.

⁸ Anno Domini.] Quo tempore Synodus inchoata & finita fuerit, prima & vltima sessione patet. Quando autem indicta fuerit, supra verbo, Concilium, ex Gobelino & Cochlæo prolixius enarraui.

VITA MARTINI PAPÆ III.
VVLGO V.

ANNO
CHRISTI
1417.

MARTINVS vulgari opinione huius nominis V. ex ilustri Columnensium familia natus, per Innocentium VII. cardinalis creatus, post interregnum biennii, ipso festo sancti Martini anno Domini 1417. tempore Sigismundi factus est pontifex optimus: in quo humanum se maxime, prudentem, iustum, & in omnibus suis actionibus exercitatissimum exhibuit. Legatum qui antipapa Petri de Luna conatus reprimeret, ablegauit: per quem dum nihil emendaretur, insipienterque in sua opinione perseveraret, ab iis qui partes eius tuebantur, merito defertus fuit. Instituit, ut certis temporum interuallis Concilia celebrarentur, ne antipapa alioquin occasionem arripientes, Synodos ipsi etiam cogere assuescerent. Rognibus imperatore & Gallis, ut in Germania remanere vellet, nullo modo acquieuit. In Italiam reuersus, Philippum ducem Mediolanensem cum Pandulpho Malatesta, ac deinde cum Venetis amicitiae foedare religauit. Braccium Mantuanum, qui plurima patrimonii ecclesiæ loca occupauerat, excommunicauit. Verum is postea fanis Florentinorum persuasionibus inductus, se se humiliauit, ac proinde per pontificem in gratiam receptus, sua opera & industria, ecclesiæ stipendiis militans, Bononiam recuperauit. Eodem tempore Martinus Bononiæ existens, a Baltassaro Cossa olim pontifice, salutandi, atque eidem se submittendi causa, inuisitur. A Romanis reuocatus non ante rediit, quam Florentiam metropolitanam declarasset, ecclesias Volaterranam, Pistoriensem & Fiesolensem, auxiliis & subsidii loco eidem annexens. Romam veniens tanta cum omnium lætitia & exultatione receptus est, ut is dies qui in decimum Ka-

ANNO
CHRISTI
1417. lendas Octobris incidebat , pro festo sit habitus. Exinde
vrbem ipsam quæ multis in locis ruinam minabatur , re-
parare aggressus est. Nouembri subsecente , Tiberis al-
ueo suo egressus tantopere excreuit , vt plurima damna
vrbi intulerit. Temporibus iisdem Romam superuenit
Ludouicus Andegauensis , qui a pontifice regno Neapo-
litano donatus est , non sine graui Alphonsi Aragonensis
animi perturbatione : qui hanc ob causam legatos ad Se-
nense Concilium misit , vt Petri de Luna causam promo-
ueret. Cui machinationi pontifex vt obuiaret , Conci-
lium dissolui curauit , aliudque post septennium indixit.
Quantum potuit afflxit Braccium , qui ecclesiæ statum
interturbabat . Bohemos hæreticos , a quibus catholici
diuexabantur , compescuit. Lucensibus , quos Florenti-
ni dura obsidione premebant , per vicecomites opem
ferri procurauit. His peractis , aliquas vrbis ecclesias re-
parauit , cardinalesque creauit. Pacem cum Alfonso
composuit , qui post obitum Petri de Luna alium anti-
papam eligi mandauerat. Sed eum exauktoratum Mar-
tinus episcopatu auxit. Ad extreum , vbi in collatione
beneficiorum , aliisque omnibus suis actionibus iudicium
suum , prudentiam & integritatem manifestasset , obiit
decimo Kalendas Martii , anno Domini millesimo qua-
dringentesimo trigesimoprimo , cum sedisset annos trede-
cim , menses tres , dies decem : cum in Laterano sepultus
fuisset , sedes duodecim diebus vacauit.

ANNO
CHRISTI
1420. CONCILIVM SALTZBURGENSE
PROVINCIALE

In causa fidei ac morum sub Eberardo archiepiscopo
Saltzburgensi , circa annum Domini MCCCCXX.
tempore Martini papæ V.

*IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ
Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.*

*Eberhardus Dei & apostolicæ sedis gratia archiepiscopus Saltz-
burgensis , apostolicæ sedis legatus , ad perpetuam rei memoriam.*

DEVS omnium creaturarum fabricator , post infinita
sæcula creaturem ad extra suæ caritatis volens esse
Concil. Tom. 29.

PPP ij